

† P. R. Arthurus O'Sullivan.

(*Prov. Angl.*).

† P. R. Arthurus O'Sullivan.

(*Prov. Angl.*).

Die 18 februarii huius anni post sectionem chirurgicam, quam medici declaraverant esse necessariam ob morbum internum ingravescentem, mortuus est in hospicio publico, quo aegroti excipiuntur, in Pretoria vicariatus apostolici Transvaalensis in Africa meridionali R. P. Arthurus O'Sullivan. Pater eius ex Hibernia in Angliam migraverat. Ipse materque pii erant et honesti homines.

Arthurus natus est die 4 ianuarii a. 1890 in Penzance Cornwall. A tenera aetate puer semper magnum sacerdotii desiderium habuit, quod ut

assequeretur, mater adhuc Londinii vivens eum etiam septies per diem rosarium B. Virginis recitavisse testata est.

Cum annum aetatis quartum decimum assecutus esset, iuvenatum Congregationis nostrae ingressus est et studia inferiora ac superiora in variis collegiis nostris in Anglia, Scotia, Belgio peregit. Linguae latinae, graecae, ac philosophiae, theologiae dogmaticae et moralis peritissimus fuit. In virtutibus exercendis progressus haud minores quam in scientiis fecit. Observantia regularum, mortificatione, orationis assiduitate, humilitate, miro paupertatis amore atque oboedientiae studio iam tum facile princeps fuit inter sodales.

Die 8 septembris a. 1910 sacra vota professus est, die autem 21 septembris a. 1915 ad sacerdotium, quod iam puer tam ardentem optaverat, pervenit.

Ob egregiam artium liberalium peritiam primum in iuvenatu lectoris munere fungi iussus est, sed ibi diu non mansit. Alterius igitur probationis curriculo absoluto variis in Scotia locis in missionibus laboravit, semper a superiorum nutu piissime pendens. Anno 1921 a P. Provinciali in domum Transvaalensem in Africa meridionali sitam missus est. Ibi, quamquam toto illo tempore cordis debilitate afflictabatur, diligentia indefessa ad contiones graves de veritatibus aeternis habendas, pueros religionem docendos, confessiones audiendas se dedit. Vox eius grandis fuit et plena, lingua expedita, argumentatio acuta. Sed imprimis propter eminentem eius Iesu Christi ac Mariae erga homines caritatis scientiam, cum homines viderent, quo ipse amore erga Iesum et Mariam aestuaret, hortationibus, miserationibus, obsecrationibus eius concitatis, fervidis atque ardentibus animi commovebantur ac durissimi peccatores ad fletum morumque mutationem convertebantur. Nulla umquam fuit in orationibus eius sacris acerbitas asperitasve, sed semper fuit suavis in modo, fortis vero in re. Vis effectusque eloquentiae eius is erat, ut tam in Scotia quam in Africa meridionali magnae hominum turmae ad eius confessionale traherentur, quorum animas Passionis Christi et amantissimae Matris Mariae exemplis ob oculos positus tam mirum in modum ad paenitentiam adducere solitus est, ut vix quemquam non data absolute dimitteret.

Quot missionibus tum in Scotia tum in Africa interfuerit, accurate colligere non possumus. Id unum dixisse sufficiat ecclesiarum rectores ac religiosarum superiores iterum atque iterum rogavisse, ut P. O'Sullivan sibi mitteretur, si quid maioris auxilii a superioribus nostris postulaverunt.

Post sectionem illam chirurgicam per septem dies nihil aliud nisi verba aedificationis plena ex ore eius audiebantur. Extrema unctione et sacro viatico confortatus rosariumque B. Mariae V. manibus tenens die 18 februarii h. a. 1926 animam placidissime Deo reddidit.

Imaginem eius lucè factam cum nobis mitti rogassemus, ut eam sodalibus exhibere possemus, P. O'Sullivan semper magna cura evitavisse nobis responsum est, ne effigies eius conficeretur, ita ut nulla eius imago inveniri possit; quod sane, quamquam magnae eius modestiae tribuendum est, nos tamen valde dolemus. R. i. p.!